



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 1. Christi testimonio difficile esse diuitibus saluari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

C A P V T VIII.

*Quanta multis diuitiae sint occasio eterna  
damnationis?*

§. I.

*Christi testimonio difficile esse diuitibus  
saluari.*

**E**A est improborum cæcitas & peruer-  
sitas, vt vitia non æstiment, quorum  
tamen vel sola nos deterrere deberet  
turpitudo. Apposuit ergo Deus vitijs sup-  
plicia, quorum metu non solùm vitia vita-  
remus, sed etiam periculis vitiorum liben-  
ter careremus, atque beneficij loco acci-  
peremus, si ipse laqueos nobis subduceret,  
nosque vel bello, vel quocumque casu, spo-  
liatos vellet carere ijs rebus, quibus habitis  
perditum iremus. Tales res diuitias esse, sa-  
tis commonstrauimus huc vsque, in ipsis vi-  
tijs, quæ vel sunt proles, vel matres pecu-  
niarum. Sed id ipsum nunc videamus cla-  
riùs in testimonij exemplisq;. Neque enim  
sine causa Redemptor noster dixit: *Amen* Matth.  
*dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum*  
*celorum.* Si quis pater filio diceret, nisi nu-  
ces reliqueris, & crepundia abieceris, diffi-  
cile regnum Poloniæ, Galliæ, Hispaniæ  
conse

19. 23.

consequeris; quām vecors puer esset, qui  
nuces nollet deserere, aut crepundia magis,  
quām regnum adamaret? At Christus a-  
mantissimus nostri pater ait: *Dives difficulte-*  
*intrabit in regnum calorū*, & tam multi adhuc  
sunt, qui diuitijs adhærent, neque formi-  
dant hanc difficultatem regni non terreni;  
& fortè cras amittendi, sed cælestis atque  
æterni obtainendi? Quæ difficultas, ne-

Ib. v. 24. parua videatur, addit Seruator ibidem: *Ite-*  
*rum dico vobis, facilius est, camelum per for-*  
*men acus transire, quām diuitem intrare in re-*  
*gnum calorū.* Quæ sententia adeò Aposto-  
los perculit, ut dicerent: *Quis ergo poterit sal-*  
*uus esse?* Quibus responsum datum diuites  
quidem à desperatione liberat, sapientes  
autem, velut digito intento, ducit, ut peri-  
culi magnitudinem magis apprehendant.  
Ait enim: *Apud homines hoc impossibile est;*  
*apud Deum autem omnia possibilia sunt;* qua-  
si dicat, omnipotētia, & infinita Dei pie-  
tas ad hoc exigitur, ut dives aliquis saluu-  
fiat, est enim quasi prodigium quoddam &  
miraculum ingens, diuitijs circumdataum &  
oneratum ad cælum ascendere; cùm vel va-  
cuo graue sit, per tam arduum cliuum emer-  
gere.

§. II.